peccatorum omnium episcoporum nostrorum et canonicorum nostrorum, qui decesserunt, celebretur una missa defunctorum et reficiatur unus pauper. Ad huius nostri consensus evidenciam, sicut in scripto domini episcopi, ita in hoc quoque fratrum nostrorum nomina et aliorum, qui huic negocio interfuerunt, subscripta sunt[1]: Conradus maior prepositus, Wernerus decanus, Conradus camerarius, Romarus archidiaconus, Fridericus vicedominus, Geroldus cellerarius, Olricus scolasticus, Otto subdiaconus, Beringerus subdiaconus, Anno subdiaconus, Bertoldus sacerdos, Albertus sacerdos et Ludolfus diaconus, Almarus diaconus, Burchardus diaconus, Conradus subdiaconus, Meynardus subdiaconus, Bertoldus Ilseneburgensis abbas, Hermannus Wymodeburgensis abbas, Heynricus Husburgensis abbas, Everhardus[2] abbas de Lapide sancti Michaelis, Wetheroldus abbas de Goceke, Everhardus[2] prepositus sancti Iohannis in civitate, Heynricus prepositus de Hathmersleve, Hermannus prepositus de Hamersleve, Theodericus prepositus de Scheninge, Appolonius prepositus de Walbike, Eckehardus prepositus de Hilleburgerothe; et laici quoque nobiles dux Bernardus, Fridericus de Hakeborne, Albero de Bisenrothe, Albertus comes de Wernigerode, comes Siffridus de Regensten, Wernerus de Susliz, Fridericus et Guntzelinus de Crozuc, Burchardus filius comitis Ottonis de Valkensten, Arnoldus de Schermbike, Otto de Swanebike; ministeriales vero Cesarius prefectus, Gevehardus de Alvenesleven, Tidericus de Sumeringe, Heynricus de Eylenstide, Fridericus de Quenstide, Iohannes de Gatersleve, et alii plurimi.

Factum est autem hoc anno Domini m.c.lxxxxv, indictione xiii, iij Kalendas Aprilis, sancta in sinodo, quam celebravit dominus episcopus in cena Domini Halberstat, presidente sancte Romane ecclesie papa Celestino, regnante Heynrico Romanorum imperatore, ordinacionis domini Gardolfi episcopi anno secundo. Ne autem huic facto quisquam de nostra ecclesia in posterum valeat temere contraire, hanc paginam testimonialem ecclesie nostre sigilli impressione signavimus.

Aus Schaumann Gesch. der Grafen von Valkenstein 155 (*nach einer Abschrift des* 15. *Jahrhunderts*). — 1. *Schaum*: scilicet — 2. *Schaum*: Ernhardus.

695.

1195. *April* 29. *Rom im Lateran. Papst Cölestin III nimmt das Kloster Hecklingen in seinen Schutz und bestätigt ihm namentlich die Seelsorge in den Parochien Stasfurt, Altendorf, Kochstedt und Winningen, sowie das Patronatsrecht über die Kirche in Rottmersdorf.*

Celestinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Erwino preposito in Cakelingen salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis precibus gratam conuientiam[1] impendentes personam tuam cum omnibus, que impresentiarum rationabiliter possides aut in futurum iustis modis Deo propitio poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem curam animarum de parrochianis ecclesiarum in Stasfurde, Altendorp, Cocstete et Winningen positarum, que

ad ecclesiam de Cakelingen pertinere noscuntur, predecessoribus tuis suisque successoribus a bone memorie R*udolfo*[2] quondam episcopo Halverstadensi concessam, prout in autentico ipsius plenarie continetur[3], ius etiam patronatus ecclesie de Retmarsdorf ab imperiali excellentia tibi et ecclesie tue collatum, sicut illud iuste ac sine controversia possides, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum licitum sit hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Laterani, III Kal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Aus dem Original im Gesammtarchive zu Dessau: an grün- und rothseidenen Fäden hängt die Bleibulle mit den üblichen Köpfen der Apostel Paulus und Petrus und der Inschrift auf der Rückseite: CELE || STINUS || . PP. III. *Gedruckt: Beckmann Hist. d. F. Anhalt I.* 150. — 1. So *das Orig. Beckmann*: conniventiam. — 2. *Im Orig. nur*: R. — 3. *Vergl. no.* 327.

696.

1195. (1196). (*Januar — September*). *Bischof Gardolf von Halberstadt bestätigt dem Kloster Huysburg seine Rechte, Freiheiten und Besitzungen, darunter den Zehnten in Reinstedt.*

In nomine sancte et individue trinitatis ego Gardolfus Dei gratia Halberstadensis episcopus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quecunque circa Dei cultum et animarum profectum illustrium virorum ante nos in episcopio nostro elaboravit ordinavitque diligentia, nostra quoque pro officii debito sunt sollicitudine confovenda. Notum igitur sit omni superventure generationi, me Deo famulantium utilitatibus modis omnibus deservire ac predecessorum meorum vestigiis adherere, ut quecunque in monasteriis religiosa devotione statuerunt, statuam, quecunque firmaverunt, et ipse devotus confirmem. Verum ne pie devotionis affectus in Dei servis populari tumultu pulsatus aliquatenus elanguescat, quiete mentium et pace rerum semper est muniendus. Unde Huysburgensis monasterii fratres sub patrocinio sancte Dei genitricis Marie degentes et secundum regulam beati Benedicti cenobialiter conversantes, ut quiete vivant et indisturbate Deo serviant, tam ipsis quam bonis eorum debita solicitudine providere debemus. Quecunque sane predecessores nostri Halberstadenses episcopi, scilicet Borchardus, Reynhardus, Rodolphus, Odolricus, Theodoricus[1], aliique sub ipsis fideles prefato monasterio devote contulerunt in villis, in agris, in areis, in pratis, in pascuis, in aquis aquarumque decursibus, in molis, in molendinis, in silvis, in venationibus pro fratrum quiete munienda, in decimis villarum Badesleve, Dingelstide, Hildewardingherod, Attekendorp, Ebekestorp, Wegersleve, Eylwardestorp, Reynstidde, Ratmarisdorp, Warnenstide, Nygendorp inter Huysburg et Halberstat, Rikbrechtingherod, in decima quoque xlviiii iornalium in Sircstedi, in decima super xxviii mansos et x iornalia in Eylenstidde, preterea in decimationibus novalium presentium et futurorum in omnibus locis, in quibus habent decimationes, in decimis quoque super propria ipsorum novalia, ubicunque in nostro episcopio sint vel postmodum fuerint, in decimis vinearum eidem ecclesie pertinentium aput villas Dingenstide et Ellenstide et in decima vinee, que est in Hildewardingherod, in Bansleve